

rem publicam posses atque ut id, quod ^{se}abs te scelerate susceptum, latrocinium potius quam bellum nominaretur. x

XI.—Nunc ut a me, patres conscripti, quandam prope justam patriae querimoniam ¹detester ac deprec^{er}, percipite, ²quaeso, diligenter quae dicam, et ea penitus animis vestris mentibusque mandate. Etenim si mecum patria, quae mihi vita mea multo carior est, si cuncta Italia, si omnis res publica sic ³loquatur; ‘M. Tulli, quid agis?’ ⁴Tunc eum, quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem exspectari imperatorem in castris hostium sentis, auctorem sceleris, principem conjurationis, ⁵evocatorem servorum et civium perditorum, exire patiere, ut abs te non ⁶emissus ex urbe, sed immisus in urbem videatur? Nonne ¹⁰hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio ¹¹mactari imperabis? 28. Quid ¹tandem te impedit? Mosne majorum? ²At persaepe etiam privati in hac re publica perniciosos cives morte multarunt. ³An leges, quae de civium Romanorum supplicio rogatae sunt? At nunquam in hac urbe, qui a re publica defecerunt, civium jura tenuerunt. An invidiam posteritatis times? ⁵Praeclaram vero populo Romano refert gratiam, qui te, ⁶hominem per te cognitum, nulla commendatione majorum tam mature ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit, si ⁷propter invidiam aut alicujus periculi metum salutem civium tuorum neglegis. | 29. Sed si quis est invidiae metus, ¹num est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia quam inertiae ac nequitiae pertimescenda? An cum bello vastabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existimas invidiae incendio conflaturum? *Ubiq.*

XII.—His ego sanctissimis rei publicae vocibus et eorum hominum, qui hoc ~~idem~~ sentiunt, mentibus pauca